



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Admodum R[everen]do in Christo Patri ac Domino D. Ioachimo, Celebris  
SS. Mariæ ac Verenæ Cœnobij Rothensis, Ordinis Præmonstratensis,  
Præsvli Amplissimo ac Dignissimo, Patri suo summa obseruantia ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

Admodum R<sup>do</sup> in C<sup>H</sup>IRSTO  
 Patri ac Domino  
**D. IOACHIMO,**  
 Celebris SS. MARIAE ac VERENAE  
 Cœnobij Rothenfis, Ordinis  
 Præmonstratensis,  
 P R Æ S V L I  
 Amplissimo ac Dignissimo,  
 Patri suo summa obseruantia colendo.



A M videmus, Præful amplissime, rebus præclare gestis, maximè eorum qui vel sanguine vel alio quovis vinculo nobis iuncti cognoscuntur, inesse vim ac vires, ut ob oculos posita maximum ad animos commouendos incitandoque pondus ac momentum habeant, & emulos quosdam sub intuentium aut contemplantium pectore (nisi planè omnino seruile & abiectum

abiectum sit ) stimulos excitare soleant, ac  
quosuis vel paulò generosiori animo orna-  
tos facile ad similia studia non tantùm in-  
citare, sed etiam quasi impellere valeant.  
Quod cùm ita se habeat, sèpenumérò me-  
cum ipse tacitus fui miratus, præclara no-  
strorum facta, vitas inculpatas, imò san-  
etas, nostræ etiam etatis, ita negligi, ita  
alta obliuione sepulta iacere; quæ in lucem  
prolata eximium Monasterijs decus, ac in-  
signe posteris paritura essent emolumen-  
tum. Id quod in admirabili nostri immor-  
talis memoriæ WILHELMI Vita acci-  
dere multò ægriùs ac grauiùs tuli; adeò vt,  
nisi perpetuis quibus omnes nostri disti-  
nentur laboribus rem adscribendam nos-  
sem, nimiopere ijs non succensere non pos-  
sem. Verùm quod alij hactenus præstare  
vel intermisserunt, vel non potuerunt, ega  
aggreendiendum mihi censui: quod cùm nunc  
effectum datum sit, Vitæ eius post longa  
temporum desideriorumque interualla le-  
ui ac rudi penicillo adumbratae patronum  
aliquem ac fautorem feligendum iudico:

quem

quem dum vndique circumspiciens &  
 omnes perlustrans querere & cooptare  
 instituo, nullum qui potiores sibi partes  
 vendicet, inuenio, quām te Præsul dignis-  
 sime. Tibi enim & me et) mea omnia de-  
 bere me nisi medullitus agnoscam & fa-  
 tear, non solum summè ingratus, sed planè  
 impius meritò censeri potuerim : quare  
 hunc ipsum exiguum quem suscepi, & ad  
 finem nunc perduxī, laborem iam anteā  
 tuum, tibi dicandum existimauī. Accedit,  
 quòd ei, quem hīc depingo, cùm lecto fatali  
 morbo conflictatus decumberet, inferuire,  
 & eius singulari amore ac fauore præ ce-  
 teris numquam non gaudere tibi licuit,  
 quem contrà tenera semper dilectione &  
 veneratione prosequi, ac laudes eius aliis  
 decantare persæpè es solitus; vt meritò non  
 disficiam cui maiori iure hoc qualemcumque  
 opus debeatur, quām tibi, tanto eius ama-  
 tori & fautori: præterquam quòd id tem-  
 poris, quo hæc elaboro, huius nostri Cæno-  
 bij (cuius WILHELMI quondam mem-  
 brum fuerat) clavum grauem ac difficilem,  
 innu-

innumerisque difficultatibus, oneribus, per-  
 iculis implicatum & obseptum modera-  
 ris; & id quidem tanta cum laude, tanta  
 cum felicitate, vt, si Deus ille supremus  
 rerum Arbiter, in cuius manu Regum ac  
 Prælatorum vita posita est, in multos an-  
 nos sospitem & in columem (quod unum  
 omnibus animi votis ardentibusque suspi-  
 riis comprecamur) te nobis seruauerit, cer-  
 ta spe nitamur, non solum temporalium  
 Monasterij bonorum misere iactatam fa-  
 ciem in integrum restituendam, sed & ve-  
 ram NORBERTINÆ disciplinæ nor-  
 mam, ac antiquum illud Religionis decus,  
 recens à te fundata, irrigata & aucta, ita  
 stabilienda, vt meritò aeternū illa dein-  
 ceps duratura coniçere possimus. Accipe  
 igitur, Admodum Reuerende Antistes,  
 placido vultu non tam meum quam tuum,  
 quem tutelæ tuæ consecro laborem, pignus  
 illius mei erga animi, qui debet esse alum-  
 ni erga Mecænatem, Subditi erga Supe-  
 riorem, Religiosi erga Abbatem, filij erga  
 Patrem, Patrem dico suos materna pietate,

B cura,

*cura, visceribus complectentem, ac velut  
teneros filios tenerè fouentem; accipe, in-  
quam, tibi me cum meis teneris à te mihi  
commissis filiolis inter reliquos, ut soles,  
fouere perge. Vale, ac Deo, Ecclesiae, Ordi-  
ni, Cœnobio, Tibi, diu incolumis ac super-  
stes feliciter viue. Ex tuo, quod instituisti,  
Tyronum ac Nouitiorum Museo, ipso Di-  
uæ Agneti sacro die, anno à partu Virgi-  
nis M. D C. X VI.*

Admodum R<sup>dx</sup> P. T.

obsequentiissimus filius

F. Martinus Mertz Nouitiorum  
Magister.

Ad-